BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 14r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

ferrum, et quasi lignum putridum es. Non fugabit eum vir sagittarius. In stipulam versi sunt ei lapides funde. Quasi stipulam estimabit malleum, et deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum. Fervescere faciet quasi ollam profundum mare, et ponet quasi cum unguenta bulliunt. Post eum lucebit semita, estimabit abyssum quasi senescentem. Non est super terram potestas que comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbie.

Cap. xlii.

Respondens autem Iob domino dixit: Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio. Quis est iste qui celat consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, et que ultra modum excederent scientiam meam. Audi et ego loquar, interrogabo te, et responde michi. Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, et ago penitentiam in favilla et cinere. Postquam autem dominus locutus est verba hec ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Iob, et offerte pro vobis holocaustum. Iob autem servus meus orabit pro vobis. Faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia. Neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites et Baldach Suites et Sophar Naamathites, et fecerunt sicut locutus fuerat dominus ad eos, et suscepit dominus faciem Iob. Dominus quoque conversus est ad penitentiam Iob, cum oraret pro amicis suis. Et addidit dominus omnia quecumque fuerant Iob duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui et universe sorores sue, et cuncti qui noverant eum prius, et comederunt cum eo panem in domo eius, et moverunt super eum caput, et consolati sunt eum super omni malo quod intulerat dominus super eum. Et dederunt ei unusquisque ovem unam et inaurem auream unam. Dominus autem benedixit novissimis Iob magis quam principio eius. Et facta sunt ei xiiii milia ovium, et sex milia camelorum, et mille iuga boum, et mille asine. Et fuerunt ei septem filii et tres filie. Et vocavit nomen unius Diem, et nomen secunde Cassiam, et nomen tertie Cornustibii. Non sunt autem invente mulieres speciose sicut filie Iob in universa terra. Deditque eis pater suus hereditatem inter fratres earum. Vixit autem Iob post flagella hec centum xl annis, et vidit filios suos et filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, et mortuus est senex et plenus dierum.